VD aeterne deus. Cuius munere beatus martinus confessor pariter et sacer-
dos et bonorum operum incrementis excreuit. et uariis uirtutum donis
exuberauit. et miraculis coruscauit. Qui quod uerbis edocuit.
operum exhibitione compleuit. Et documento simul et exemplo subditis
ad caelestia regna pergendi ducatum praebuit. Unde tuam clementiam petimus
ut eius qui tibi placuit exemplis ad bene agendum informemur.
meritis muniamur. intercessionibus adiuuemur. qualiter ad caele-
ste regnum illo interueniente. te opitulante peruenire mereamur. Per Christum

PRAEFATIO IN NT SCI MARTINI

IN DEDICATIONE TEMPLI INFRACT

Hanc igitur oblationem famuli tui ill. quam tibi in huius templi sanctificatione
offert immolandam quaesumus domine dignanter intende. ut aula quae beati
martyris tui ill. aequiperari non potuit digna tuae claritatis uultu illustretur.
fiatque tua propitiatione diuinis sacris sanctisque mysteriis. sit aeternae lucis
habitaculum temporale. nihil mundanae sordes obscuritatesque possideant.
ut ueniens huc populus tuus suae consequatur orationis effectum. dignum locum
hunc tua sentiat maiestate. dum a te postulata fuerit consecra-
tus. Sitque aedificantibus in propitiatio delictorum. ut a te non ipsius operis
quantitate. sed pro offerentium fuerit deuotione suscepta.

DIES QUE NROS